

sexus eorum & in fines orbis terra verba eorum (nota hoc contra Baronium & Spondanum) Quis hoc crederet ut barbaræ Getarum lingua Hebraicam quæreret veritatem (de Trevirensibus & Transehanis inter quos ipse vixerat ita locutus non fuisset) & dormitantibus Græcis ipsa GERMANIA, Spiritus sancti eloquia scrutaretur (insigne elogium quo Germanos in Scripturæ sedula tractatione aliis præfert) Dudum callosa tenendo capulum manus, & digiti tractandis sagittis aptiores ad stilum calamumq; mollescunt: & bellicosa pectora, revertuntur in mansuetudinem Christjanam (non possunt hæc commodè de Germanis à Romanis subjugatis, sicq; mitioribus intelligi ac proinde magna & interiore Germania accipienda.) Sicut autem in N. Test. si quando apud Latinos questio exoritur & est inter exemplaria varietas, recurrimus ad fontem Græci sermonis, quo novum scriptum est instrumentum: ita in V. Test. si quando inter græcos Latinosq; diversitas est, ad Hebraicam recurrimus veritatem: ut quicquid de fonte proficiscitur, hoc quæramus in rivulis (Græci ergo Latiniq; sermonis fuere hi Germani satis periti, quod & collatio Psalterii in utraque lingua ostendit, nec fuere superficialia Scripturæ lectione contenti sed in fontibus veritatem agnoscentes ut in N. Test. ipsi eam indagare solebant, ita ob defectum notitiæ Hebræi idiomatis, in V. Test. ab Hieronymo eandem exquirunt.)

XXXVII. Atque in eodem pretio in rebus fidei etiam Scripturam habuisse subsequentes Germanos, vel exinde colligere est; quod cum *Gregorius II.* per suum Apostolum *Vinofridum* quem *Bonifacium* appellavit, Germanos subjugare conaretur, speciosum Scripturæ titulum (procul dubio sciens ipsum alias à Germanis non audiri) prætendit, ita ipsum instruens: *Tu verò non fabulas hominum, nec questum tuum, sed Christum, & sacras utriusq; instrumenti literas prædicato. Aventinus l. 3. pag. 211. sic & Bonifacius sacerdotes cooptat qui oves Christi non suas, cælesti pabulo non fabulis hominum pascant non lanient. Utriusq; instrumenti exemplaria nocturna versent manu versent diurna. Avent. pag. 214. Quin idem Pontifex Gregorius Viviloni & cæteris Bojariæ sacerdotibus scribit:*